

Eius civitatis essem, ex qua C. Mucius.

Iam supra mihi enarrata memini exempla Deciorum, patris et filii, qui ambo se pro exercitus Romani salute voverunt. Et de C. Mucio Cordo non ignobilis historia est: Qui solus adulescens vigore animi strenuissimus, cum 5 Porsinnam, Etruscorum regem, vellet occidere, deceptus similitudine habitus purpuratum eius occidit comprehensusque virtutis miraculo dimissus est.

Patrem huius M. Crassi, fortissimum virum.

De P. Crasso dicit, qui victoribus L. Cinna et C. Mario 10 proscriptus, cum ad mortem quaereretur, sua se dextera interfecit, vir inlustris et qui de Hispania triumphaverat.

§ 49. Bis rem p. servavi, semel gloria, iterum aerumna mea.

Notabiliter singulari numero, non plurativo aerum- 15 nam dixit referens ad exilium scilicet, cuius patientiam inter glorias suas computat.

§ 51. Quare moneo vos, adulescentes.

... Excedit in cohortationem virtutis, quam boni viri debeant pro patriae salute suscipere. Hoc proficit et 20 ipsius Ciceronis laudibus et P. Sestio, qui reus est. Armatos enim dicitur adhibuisse, verum hoc, si <ex> re p. factum sit, non oportere damnari.

§ 52. Si erit id, quod debetur, persolutum.

Id est: si fuerint Piso et Gabinius condemnati. 25

Neque erit iusta causa ad portas sedenti imperatori.

Et hic est aculeus non mediocris ... <in> Caesarem, cuius hac in parte mentionem facit, quod eatenus ante portas